

uero hominum uestigia quæ ibi in littore miratus est Aristippus, in scholis etiam frequentiora essent. Iacent enim desertæ & neglectæ hæ artes, multis iam seculis. Nam proxima ætas iuuentutem ab hac uera philosophia ad insulsißimas cauillationes abduxerat. Nunc postquam hæ exploratæ sunt è scholis annitendum erat, ut pura & natiua philosophia tradere-  
tur, quæ conduceret ad solidam doctrinam consequendam. Nam hæc nostra ætas satis commonefacit nos, quantum opus sit reipub. perfecta doctrina, quia multi passim tum inopia iudicij, tum quia diserte explicare nihil possunt. sparserunt, aut defendunt opiniones absurdas & confusaneas, ex quibus in Ecclesia magna certamina, magnæ dissensiones extiterunt. Nec finis horum malorum erit ullus, nisi ad ueram & eruditam studiorum rationem iuuentus reuocata fuerit. Hanc ad rem conferre operam hi qui præsent Ecclesiæ ac reipub. profecto debebant. Sed eadem cura ad nostrum officium pertinet, hoc est, ad eos qui docent, aut discunt in scholis. Nam & nostrum munus ad reipub. pertinet. Diuinitus in hac statione collocati sumus, ut doctrinam utilem generi humano cõseruemus & propagemus. Et flagitat hanc diligentiam Deus pariter à doctoribus & discipulis. Quare iuuenes cogitent se etiam Deo hoc officij debere, ut solidam & perfectam doctrinam expetant, profuturam Ecclesiæ ac reipub. Quos in templa animos afferimus, eosdem decet in scholam afferre, uidelicet, ut ibi res diuinas cognoscamus, & alijs patefaciamus. Si quis uenit in scholam tantum ut inde auferat particulam aliquam doctrinæ, quæ possit ad quæstum, aut ostentationem conferri, is sciat se polluere sanctissima doctrinæ templa. Itaque si munus suum intelligent adolescentes, si scient quo animo uersari in studijs debeant, facile impetrabimus ab ingenijs non monstrosis, ut recte atque ordine percipiant omnes artes, ut non inanem eruditionis umbram, sed ueram doctrinam auferre conentur. Quosdam deterret à mathematis difficultas, sed hi, quod est iniquissimum, ante pronunciant quàm inspiciunt, priusquam degustarunt elementa, abijciunt & damnant totum studium. Certe initia sine magno negotio percipi possunt, quæ usum habent in uita, & in multis artibus. Hæc saltem prius cognosci oportuit, quàm pronūciarent de difficultate. Deinde ordo qui præsertim in geometricis est commodissimus, leuat laborem, & multum addit lucis. Postremo ubique traduntur demonstrationes, quæ etsi in artis extrema parte, quasi in fastigio, longius recedunt ab oculis & conspectu nostro, ut urbes, quas procul uidemus, tamen in cæteris partibus, quia magis obuiæ sunt oculis, multo minus habent difficultatis. Extrema ignauia est, prius abijcere studium, quàm periculum feceris. Et mollities animi iniusta est, nihil laboris uelle suscipere in discendo, cum quidem militia quædam sit, uersari in literis. Et respubli. nobis maximarum rerum curam & conser-